Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1317
Quelle:
Copyright:

rati *Laelius, uterque Scipio, Cato, Tullius, Virgilius, Seneca.* Cum igitur et Philosophum, et Christianum et Latinum teneamus, quidni mentem pulset *Chalcidius* Interpres et Commentator *Timaei Platonici*, quem ad Seculi IV. initia Literatores reponunt? Plura eum scripsisse, quam quidem in *Timaeum*, testis est Codex *Bodlejanus* per modum Dialogi tractans de statu Animae post obitum Platonico more, quem *Gerh. Langbaenius* a *Fabricio Bibl. lat.* L. III. c. 7. excitatus in *Chalcidium* confert, quique fortasse Tractatus noster est, testis item *Franc. Patritius*, qui *novae de Universis Philosophiae* edit. *Veneta* 1593. f. in *Adpend. de Hermete Trismegisto* p. 3. ultima Ejus ad Filium verba e *Chalcidio* refert, quae utique verba non extant in *Commentario Timaei;* extant vero in Tractatu nostro, quanquam paullo uberius, *fol.* 19. *Hactenus fili pulsus a patria uixi peregrinus et exul* &c. unde *Patritium* Exemplari *Chalcidii* nomen praeferente usum fuisse oportet; testis denique Codex *Laurentianus* duplex a laudato *Bandinio* T. *cit. col.* 334. et 629. relatus, in quo habetur eadem *Hermetis* Oratio ad filium tributa *Alcibidio Platonico*, quem *Alcibidium* a Librariis e *Chalcidio* corruptum plus quam probabile videtur. Adde, quod in nostro Codice, dum Interlocutores Autorem somniantem adpellant, *Alcidem* vocant, quod facile quis itidem ad *Chalcidium* reducat. Adde postremum et cogitandi et eloquendi rationem in *Commentario Timaei* et Tractatu nostro prorsus convenire. Verum quid facies historicis illis notionibus, quas supra descriptas dedi? Quid *Chalcidio*, siquidem Seculum IV. adtigit, cum *iniquo Domitiano*, qui, si de Imperatore res est, Seculo I. occubuit? Quae Civitas illa, in qua Somniantis Frater *cogente optimo Romanae Reip. Consule* munia gessit? In qua ora maritima *Paracle* et *Chereothe* a Piratis vexatae? Quis conjurator *Apollonius?* Videant me doctiores. Aut hic paucula de Vita, rebusque *Chalcidii*, quae tempus edax nobis non invidit, continentur, aut nullibi; neque enim certi quidquam *Aug. Justiniani, Job. Meursii* et *J. Alb. Fabricii*, qui versum et expositum ab eo *Timaeum* edidere, solertia docere nos potuit.

DLXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 619 XV. ineuntis, Folior. 131. f. perelegante scriptus, et coloribus comtus sequentia continet: *Incipit tractatus de peccato originali editus a fratre Egidio Romano ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini. Capitulum primum in quo est prologus.* Init illud: *Ego cum sim puluis et cinis loquar ad Dominum meum* &c. Constat Capitibus VII. ut *Vol.* I. *col.* 2249. et 2571. quo te, si lubet, refer.

II. *fol.* 9. *Incipit tractatus de laudibus diuine sapientie editus a fratre Egidio Romano ordinis fratrum heremitarum Sancti Augusti-*